



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 67. Papæ responsum ad suos Legatos circa hoc negotium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](#)

Sæcul. XVI. ejusmodi verbis conflata videbatur, quæ
A.C. 1563. ad diversos sensus tam facile detorqueri
possent, ut Sedis Apostolicæ hostes tam
durante, quam finito Concilio illis fa-
cile abuti valerent: ex altera vero parte
Legati hac in re quicquam concludi-
peroptabant, atque id necessarium cen-
sebant, quamvis ancipites hærerent,
an periculum definitionis, qua Papam
Synodo esse superiorem declararetur,
facere deberent, vel potius hanc quæ-
stionem silentio præterire expediret.
Hac super re Borromæi Cardinalis con-
silium expetebant, eique præfatam for-
mam transmittebant.

§. LXVII.

*Papæ responsum ad suos Legatos circa
hoc negotium.*

Pallav. l.21. Eapropter Borromæus hac de re cer-
t. 6. n. 4. tiorem reddebat Pontificem, qui
Legatis hæc in responsis dari iuslit:
„cum noluissetis uti auctoritate toties
„vobis concessa, sed Papæ judicium
„exquireretis, voluit hic ea de re con-
„silium habere, cum ampliori Purpu-
„ratorum cœtu, & etiam cum Princi-
„pum Oratoribus; gratum tamen ipfi
„esset, si interim alterum consilium exe-
„cutioni daretis, atque utramque con-
„troversiam prætermitteretis, quæ ex-
„utroque Canone fuit exorta: ceterum
„id

„id unum Pontifici permoleste accidit, Sæcul. XVI.
 „& idem contra vos questus est, quod, A. C. 1563.
 „cum vobis minime libuisset adhibere
 „libertatem concessam, quin & impe-
 „ratam, sed rem denuo cum ipso com-
 „municassetis, ejusque sententiam præ-
 „stolari voluissetis, nihilominus id eval-
 „garetis, hacque agendi ratione in
 „Pontificem non laborem modo, sed
 „& accusationum onus rejiceretis, per-
 „inde acsi rerum decisionem suo arbi-
 „trio vendicare vellet: præsertim dum
 „Synodus Papam tanquam Judicem non
 „selegerit, in quo eventu libentior onus
 „suscepisset: etenim in alterutrius ne-
 „cessitatem a vobis adducebatur Papa,
 „ut aut occurrentes sibi difficultates,
 „quamvis in rebus ad fidem spectanti-
 „bus nunquam fecisset, in aliis tamen
 „dissimulasset, aut incurrisset commune
 „omnium odium, quamvis immerito,
 „quasi concordiæ perturbator esset., Ce-
 terum Legati se postmodum excusarunt,
 & quidem respondebant ad primum,
 quod in rebus maximi momenti ad
 suum Principem, & caput recurrere co-
 gantur, ne tunc, cum duntaxat gene-
 rale mandatum haberent, notam te-
 meritatis apud sapientes, ac suarum
 conscientiarum tribunal incurrent:
 porro quod ad alterum spectabat, com-
 municationem illius negotii extendi
 ajebant

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

ajebant ad tot Oratores, ac Præfules,
quibus oportuerat palam fieri honestis-
simam caussam suspendendi responsi, ut
ipsius vulgationem impedire nequi-
vissent.

Pariter Borromæus Cardinalis Le-
gatis significabat ea, quæ Pontifex
circa Cardinalium reformationem agi-
taret; hanc enim Lotharingius instan-
ter urgebat, eamque non minus ar-
denter ab Hispaniæ, Franciæ, & Lu-
sitaniae Regibus desiderari spargebat.
Porro ex eadem Borromæi Cardinalis
epistola elucet, quod ipsemet Pontifex
hanc etiam emendationem summopere
exoptarit: „libere, inquietabat Borro-
mæus, facere poteritis, quicquid con-
sultius fore videbitur, hinc valebitis
„disertis quoque verbis quoad omnia
„reformationis capita Cardinales no-
„minare, ne ignorantiam obtendere
„valeant: nullam ergo hominum ratio-
„nem habeatis, nam quantumcunque
„austera fuerit ista reformatio, nun-
„quam nimis severa reputabitur a sum-
„mo Pontifice, qui hac in re, sicut &
„in ceteris omnibus ad bonum regi-
„men spectantibus, Synodi, ac Prin-
„cipium votis satisfacere desiderat.

§. LXVIII.